





THOMÆ AQUINATI
—
OPUSCULA
PHILOSOPHICA
ET THEOLOGICA



1

BX890
T5
v. 1
1886

008055



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis



1080015594

A. M. D. G.

SANCTI THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

SELECTA OPUSCULA

ACCEDUNT

QUAESTIONES QUODLIBETALES

81
250
9

SANCTI THOMAE AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

OPUSCULA PHILOSOPHICA ET THEOLOGICA

AD USUM STUDIOSAE JUVENTUTIS SELECTA
ET JUXTA ORDINEM RERUM QUAE IN SCHOLIS TRACTANTUR
NUNC PRIMUM DIGESTA ET EXACTA

ACCEDUNT

QUAESTIONES QUODLIBETALES

EDITIO ACCURATE RECOGNITA
ET NONNULLIS QAESTIOSIBUS AC SCHOLIS AUCTA

A MICHAELE DE MARIA S. I.

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA
PHILOSOPHIAE PROFESSORE

VOLUMEN PRIMUM

COMPLECTENS TRIGINTA OPUSCULA PHILOSOPHICA



UNIVERSIDAD DE LEÓN
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

TIFERNI TIBERINI

(Città di Castello)

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA S. LAPI

1896

44731

EX 990
75
v. 1
1886

PROPRIETÀ LETTERARIA



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ



DILECTO FILIO

MICHAELI DE MARIA S. J.

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA PHILOSOPHIAE PROFESSORI

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

—000—

Jam pridem compertum nobis est studium tuum, quo purissimam S. Thomae Aquinatis sapientiam prosequeris, et numerosam juventutem in Pontificia Universitate Gregoriana ad tanti Doctoris disciplinam informare strenue et laudabiliter adniteris. Hoc nobis gratissimum semper accidit, qui, uti crebro et aperte significavimus, in theologicis et philosophicis disciplinis impense exoptamus et volumus Clericorum studia revocari ad doctrinam ab Angelico Doctore explicatam. Ad hunc finem facile assequendum nihil antiquius, et magis accommodatum habemus, quam praeclariora Opera ab Aquinato conscripta inter juvenes studiosos divulgari. Cum enim adolescentium animus integer et incorruptus mature accesserit ad purissimos tam excellentis Praeceptoris fontes, gustata ejus divina sapientia, ardentem amorem erga illam excitatum in se sentiet, et falsa dogmata, quae philosophiam nostram aetate male pervadunt et mentes transversas agunt, ultro aspernabitur. Quapropter libenti animo gratulamur tibi, dilecte fili, qui, in imbuenda optimis disciplinis juventute, egregiam industriam tuam contulisti in editiones

008054

nonnullorum S. Thomae operum adornandas, quae omnibus, et maxime juvenibus, qui in spem sacerdotii instituuntur, sine gravi dispendio usui esse possent. Sicut ergo merita laude te prosequuti sumus propter *Quaestiones Disputatas* S. Doctoris, quas concinna editione vulgasti; sic te iterum commendatione Nostra dignum habemus, qui selecta Opuscula philosophica et theologica cum Quaestionibus Quodlibetalibus ejusdem Angelici Praeceptoris tribus voluminibus nuperrime typis edi curasti, et quorum exemplum Nobis obtulisti in testimonium tuae obsequentissimae erga Nos voluntatis. Munus tuum pericundum Nobis fuit, et te optime consuluisse putamus emolumento ac disciplinae adolescentium, quod quasdam quaestiones et adiecta nonnullis Opusculis scholia elucubrasti, quae inexpertae ac tenerae aetati fideliter aperirent ea doctrinae capita, quae Angelicus magister uti fundamenta proposuit totius disciplinae ab ipso expressae. Dum ergo imploramus, ut labori a te pro doctrina S. Thomae Aquinatis dilatanda suscepto propitius adsit Deus, auspitem divinorum munerum Apostolicam Nostram Benedictionem tibi, Sodalibus qui in eodem opere adlaborant, et discipulis tuis, sicut petiisti, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1. Aprilis an. MDCCCLXXXVI.

Pontificatus Nostri Nono.

LEO PP. XIII.

A. M. D. G.
IN NOVAM S. THOMAE AQUINATIS

OPUSCULORUM ET QUAESTIONUM QUODLIBETALIUM EDITIONEM

PRAEFATIO

DE FONTIBUS ATQUE EXCELLENTIA DISCIPLINAE
DOCTORIS ANGELICI

Ad juvenes qui in Archigymnasio Gregoriano
Philosophiae ac Theologiae egregiam operam navant.

1. Humanam naturam diligenter attenteque consideranti, lectissimi adolescentes, optimo cuique ea sponte occurrit cogitatio, homines, qui nimium quantum ceteris praestant, atque excellunt animalibus, a Deo sapientissimo omnium rerum artifice atque Architecto ad veritatem procul dubio factos fuisse, ac comparatos. Licet enim mortalium genus libidini et vitiiis non raro obnoxium in turpissimos nefariosque prolapsum sit errores: in media tamen errorum obscuritate, ac tenebris, ad veritatem exquirendam amplexandamque imperio ductuque ipsius naturae quisque sese impelli et quibusdam quasi stimulis concitari experitur.

Quamobrem penes omnes populos ac nationes tum studiis humanitatis, et doctrinae gloria florentes, tum barbaras et a politiori cultu abhorrentes semper extitere viri alta quadam mente ingenioque praediti, qui sapientiae rectique desiderio capti ac commoti veritatis lucem et ipsi persequi, et animo conceptam

cum reliquis hominibus communicare sanctum ac solemne habuerunt.

Inter hos viros quos *philosophos* antiqui uno nomine appellarunt, in principibus ac ducibus fuisse Aristotelem Stagiritam, ex quo peripatetica schola manavit nemo jure inficiabitur, qui in scientiis ac liberalibus disciplinis sit vel leviter versatus, atque imbutus. Et re sanc vera quotus quisque est qui graecae philosophiae mysteriis initiatus ignoret Stagiritam hominem singulari divinaque ingenii abundantia ornatum, in explicandis subtilissime ac copiose omnibus philosophiae fontibus ita praeclaram operam studiumque collocasse; ut, quaesitis, lectis, cognitissis atque exploratis omnium superioris aetatis philosophorum scriptis, omnibus infinita quadam sapientiae laude praestiterit, disciplinamque nobilissimam et omnibus numeris absolutam constituerit, nomenque *Philosophi* prae ceteris promeruerit?

Is enim rerum omnium naturam, quae a sensibus remotissima est, animo ingenioque speculatus de omni disciplinarum genere, de homine, de mundo, de mirabili rerum mundanarum ordine, et divino quasi concentu, de principiis ac causis naturae visibilis, demum de Deo cunctorum effectore ac moderatore ita vere, distincte, abundanter, illuminate verbis ac sententiis disseruit ut eo pervenisse videatur quo humana ratio praesidio divinae revelationis exuta, vix pertingere potuisse censebatur. Idcirco nonnulli Ecclesiae Patres ejus ingenium ejusque, inter ipsas ethnicorum tenebras, sapientiam admirati peripateticam philosophiam, et scripta Aristotelis praeparationem quamdam ad

Evangelium nominari ducique posse arbitrati sunt.

2. Cum enim philosophia omnis quae studio sapientiae continetur in exquirendis, aperiendisque intimis rerum causis ac principiis potissimum immoretur; omnes qui ante Aristotelem nomine atque auctoritate philosophi gloriabantur, in id studium assidue incubuere, ingenia in eo exercere, ut rerum principia scrutarentur, investigarent, in lucemque proferrent. Verum in hac enodanda quaestione, in perabscondita hac naturae exploratione, quae tamen caput est ac fons scientiarum atque artium omnium reliquarum, veteres physici seu naturales philosophi ita omnes a veritate procul abfuerunt, ut Socrates, qui omnium eruditorum testimonio totiusque Graeciae judicio cunctorum habebatur facile princeps, tanta philosophorum dissensione doctrinarumque inconstantia deterritus has nobilissimas quaestiones posthabendas deserendasque ratus sit, seseque ad mores excolendos, hominesque ad virtutem ac humanitatem fingendos receperit atque contulerit.

Incredibile plane memoratu est, homines non mediocri ingenio ornatos, tam misere a veritate descivisse, tantamque absurdarum opinionum insolentiam ac turbam professos esse, ut summam obscuritatem ac tenebras offunderent rebus, quibus lumen splendoremque adhibere nitabantur. Principio quidem antiquissimi philosophi Thales, Anaximenes, Heraclitus Empedocles, Leucippus, Democritus uti testis est Aristoteles (Met. Lib. 1.) ita ad naturam explicandam aggressi sunt, ut causas tantummodo materiales velut intima rerum principia admitti oportere docue-

rint¹: quo decreto constituto, ipsum scientiae aedificium, quod moliri studebant subversum labefactatumque iverunt. Scientia quippe, uti ab ipso Stagirita ceterisque sapientibus accepimus,² in assignandis intrinsicis ac formalibus rerum causis potissimum versatur ac viget.

Hoc a divino Platone intellectum in causa fuit, cur primus ad formas speciesque rerum indagandas explicandasque ingenium suum penitus converterit.³ Quod auspicato et sapienter molitum fuisse Socratis discipulum quisque leviter philosophia imbutus intelliget; nam Platonis dogma cum dogmate Heracliti, quod ipsam scientiae rationem plane interimebat, fronte adversa pugnat et materialistarum agmina penitus subvertit ac fundit. Verum enim Platonis philosophandi nobilissima verba, quae extra orbem ac confinia causarum materialium egressa causas formales persecuta est, non valuit perfectam scientiarum disciplinam exhibere ac posteris relinquere; eo quod rerum formas a subjecto separatas ipse effinxerit, commentisque fuerit scientiam nostram non attingere res quae sub sensibus cadunt, sed ideas speciesque rerum in seipsis existentes et a singulis rebus semotas speculari.⁴

3. Aristoteles ex adverso omnes superioris aevi

¹ Plurimi igitur eorum qui primo philosophati sunt solas illas (*causas*) existimaverunt omnium esse principia quae in materiae specie sunt. Ex quo enim omnia entia sunt, et ex quo primo fiunt et ad quod ultimum corrumpuntur, substantia quidem permanente mutata vero passionibus, hoc elementum, et hoc omnium entium esse principium ajunt. (Arist. Met., Lib. I, Cap. 33)

² (Post. Analit. Lib. I. Cap. 8.)

³ (Arist. Met. Lib. I. Cap. 7.)

⁴ (Arist. Met. Lib. I. Cap. XI.)

opiniones, dogmata, sententias accurate acuteque scrutatus ac complexus, quid veri, quid a veritate remotum in qualibet disciplina reperiretur, breviter minimeque obscure aperuit, in adspectumque protulit; et sic tandem posuit firmissima illius verae philosophiae fundamenta, quae apertam, simplicem, rectam naturae viam ingressa utrinque incommoda ac scopulos devitavit, tum eorum qui species rerum tollentes materiam solummodo, tum eorum qui naturas ac species a rebus corporatis disjunctas in scientia tutanda amplexati sunt: atque ita aditum semitamque praeclusit materialistis juxta ac idealistis cujusque generis ac rationis.

Ex rebus visibilibus animo antecaptis et informatis profectus, ulterius altiusque praetervolvit Aristoteles, et ad Dei gloriosi omnia efficientis, moderantis, ac cientis supremam naturam indagandam progressus hujuscemodi, si pauca admodum excipiantur, de prima omnium causa doctrinam suis explicavit libris, ut sine singulari ipsius supremi Numinis afflatu ac privilegio humanus animus ad eas capessendas veritates vix aut ne vix quidem pertingere potuisse dicendus sit.

4. Excellentem Dei naturam docuit Philosophus intelligentem esse, rerum omnium reliquarum effetricem, cuncta nutu voluntatis moventem, consilio suae providentiae gubernantem, ad proprios cujusque fines dirigentem; cum Ipsa sit immobilis, invariabilis, simplex, in qua nil concretum nil copulatum, nil coagmentatum, nil duplex cogitatione fingi possit, actus purissimus, ideoque infinitus, immetatus, im-

measus, omnes complectens in una re simplicissima essendi agendique nobilitates ac perfectiones, natura excellens ac praepotens, nemini subjecta, et cui omnia necessario subjecta sunt¹ Quodque ostento ac prodigio simillimum videri potest, idem non obscure significavit doctrinam a Christiana Religione disertissime postmodum affirmatam ac traditam; nimirum Deum prout in se est, effugere ac supergredi nativam aciem cujusque finitae intelligentiae; ita ut nullus oculus creatae mentis ipsum possit directe et immediate contueri ac contemplari.

Illud quippe assumens principium,² nimirum notiora et illustriora naturae esse magis abscondita ac ignota quoad intellectum nostrum, propterea quod inter intelligendi virtutem et rem ab intellectu percipiendam certa ac definita proportio similisque existendi modus intersit oporteat; acutissimus omnium humanae memoriae philosophorum quasi per nebulam, et per quaedam spiramenta veritatis conjectura saltem, si minus certe, videtur assecutus, Deum actum purissimum cujusque concretionis expertem haudquam esse posse objectum idoneum ac proportionatum alicujus intelligentis naturae ex actu et reali potentia coagmentatae.

Hanc admirabilem doctrinam Angelicus Doctor diligenter exceperit, scriptis suis uberius magnificentiusque amplificavit, divinitus explicavit, et eam ad dogma beatificae visionis applicans immortalitati tra-

¹ (Met. Lib. 12. Cap. 5, 9, 10)

² (Phys. Lib. 1. Cap. 1.)

didit.¹ Nemo ergo mirabitur Tullium virum non modo incredibili ac divina eloquentia, sed etiam singulari acumine ingenii instructum, de Peripateticorum disciplina et ejus ornatu tam magnifice loquutum fuisse; adeo ut affirmare haud dubitaverit, eos summis ingeniiis exquisitaque doctrina praeditos ceteris philosophis sive in naturae obscuritate indaganda, sive in disserendi subtilitate longe praeeripuisse palmam, et ex eorum scriptis ac institutis omnem doctrinam liberalem, omnem historiam, omnem elegantem sermonem tanquam ex omnium artium officina manasse.

5. Verum post Christianae Religionis exortum, quae non in terris sata ac prognata, sed e caelo delapsa, et ab Unigenito Aeterni Patris Filio hominibus allata fuit, Christifideles non solum novas caelestesque veritates beneficio revelationis acceperunt; sed et ipsas disciplinas, quas ethnicorum philosophia speculata fuerat, ab illis erroribus ac falsitatis contagione incolumes reddere ac purgare potuerunt, cui humanae mentis infirmitas penes ipsos nobilissimos philosophos crebro obnoxia fuit. Quam ad rem ipsa philosophia quodammodo fieri debuit Christiana, et ratio superno lumine collustrata nedum nativae dignitatis ac splendoris quidpiam amiserit; sed excellentior diviniorque effecta utrumque veritatum ordinem naturalium simul et divinarum admirabili concordia, ac societate copulavit atque miscuit.

Quo factum est ut Ecclesiae Patres ab ipsis Re-

¹ (I. P. Q. 12 A. 4)

ligionis nostrae incunabulis non raro disciplinas ex graeca philosophia expressas usurpaverint ad dogmata christiana ab eorundem ethnicorum impetu atque insectationibus vindicanda; singularique dexteritate patefecerint humanam rationem bene recteque institutam veritatibus divinitus revelatis nullo pacto refragari. Philosophia quippe, uti opportune notavit Clemens Alexandrinus "cum sit evidens veritatis imago, donum graecis datum divinitus, neque nos per ipsam, tamquam quibusdam decepti praestigiiis a fide abducimur, sed potius majori munimento tecti, et socium quodammodo, exercitationem, qua fides pleniorum demonstrationem accipiat, lucrati sumus.¹ „ Idemque fassus est "dialecticam ne prosternamur ab haeresibus quae faciunt incursiones adjuvare...: licet enim graeca philosophia veritatem idest doctrinam Salvatoris non faciat potentiorum, efficit tamen debilem adversus eam sophisticam argumentationem."² „

6. Veterum Ecclesiae Scriptorum exempla sequutus, et eorum libros meditatus Aquinas vir sanctissimus et singulari ingenii gloria nobilis philosophiam ab Aristotele explicatam cum christiana doctrina consociare aggressus est; qua in re totum vitae suae spatium pene consumpsit, uti immortalia ab eo exarata volumina sempiternis documentis testantur, et memoriam posteris in aeternitate temporum proderent gloriosam. Ipse enim talem composuit omnibus partibus expletam, omnibus numeris absolutam discipli-

¹ (Strom. Lib. I. Cap. 2.)

² (Strom. Lib. I. Cap. 20)

nam, ut merito tamquam prodigium ac portentum habitum fuerit, et a Jesu Christi Ecclesia *Doctor Angelicus* excellenti praeconio salutatus. Dies sane deesset, si illustria Summorum Pontificum, doctissimorumque virorum de sapientia Aquinatis testimonia in animo esset vel leviter recensendo complecti: non abs re nihilominus duco aurea Innocentii VI verba transferre, qui praeclarissimum extulit de Summo Aquinate testimonium inquit: "Hujus doctrina prae caeteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum ita ut nunquam, qui eam tenuerit inveniantur a tramite veritatis deviasse, et qui eam impugnaverit semper fuerit de veritate suspectus.¹ „ Nemo itaque mirabitur si Albertus Magnus tanti doctoris magister post mortem angelici discipuli omnia ejus scripta Coloniae ut sibi legerentur curavit "et facta per eum congregatione solenni extulit de ipso Fr. Thoma commentationes eximias, gloriosas, et excelsas; et in fine conclusit, quod idem Fr. Thomas in scripturis suis imposuit finem omnibus laborantibus usque ad finem saeculi."² „

7. Et re sane vera in sacra doctrina enucleanda optime intellexit Aquinas veritates a veteri philosophia prolatas minime esse aspandas ac rejiciendas; sed potius amplectendas et ab omni erroris veneno purgatas cum christianis dogmatibus conciliandas: idcirco sua maxime interesse putavit non solum ea complecti quae Doctores Ecclesiae scriptis commen-

¹ (In sermone de S. Thoma)

² (In proces. pro Con. Apud Bollandistas N. 82. p. 712).

darunt, verum etiam ethnicorum philosophorum libros diligenter quaerere, consulere, explicare. Propterea tanta fuit apud ipsum Aristotelicae philosophiae admiratio tanque flagrans studium, ut et ad ipsam a primo aetatis suae tempore totum se transtulerit, et graeco philosopho se velut discipulum dederit, ejusque nobilissimos libros interpretatus sit. Qua in enarratione ita sapientissimi interpretis emicuit admirabilis doctrina, ita graeci philosophi mens fideliter explorata ac patefacta fuit, ut meritissimo Sylvester Maurus professus fuerit¹ se in Aristotele explicando secutum fuisse "praesertim S. Thomam, qui quia ingenio fuit Aristoteli simillimus ita Aristotelem explicat, ut non alius Aristotelem, sed Aristoteles seipsum explicare videatur."

Hinc Thomae Aquinatis opera atque ingenio contigit ut peripatetica philosophia, quae ceteras omnes tum disserendi subtilitate, tum profunda indagatione naturae, tum denique rerum copia ac varietate longe superabat, nominari etiam potuerit et esse christiana; et illud inter alia, teste Pallavicino, Aquinati debet Ecclesiae, quod Aristotelem Christo militantem, non hostem habeamus. Quam S. Thomae agendi disserendique excellentem rationem nuperrime amplissimis cumulavit laudibus supremus Ecclesiae Catholicae Magister Leo XIII inquit: "In eo doctrina quidem est tanta ut sapientiam a veteribus defluentem maris instar omnem comprehendat. Quid quid est vero dictum aut prudenter disputatum

¹ In proemio ad suam de operibus Aristotelis paraphrasim et explanationem.

"a philosophis ethnicorum, ab Ecclesiae Patribus et Doctoribus, a summis viris, qui ante ipsum flo-
"ruerunt non modo ille penitus dignovit, sed auxit,
"perfecit, digessit tum luculenta perspicuitate for-
"marum, tum accurata disserendi ratione, et tanta
"proprietas sermonis ut facultatem imitandi pos-
"steris reliquisse, superandi potestatem ademisse vi-
"deatur. Atque illud est permagnum, quod ejus
"doctrina cum instructa sit atque apparatus prin-
"cipiis latissime patentibus non ad unius dumtaxat,
"sed ad omnium temporum necessitates est apta, et
"ad pervincendos errores perpetua vice renascentes
"maxime accommodata."

8. Verum vitio infirmitatis humanae usu saepe venit, ut nonnulli mortales, sive quos novandi libido velut tabes invadit, sive quos studium certandi et amor contentionum ad scribendum ac philosophandum impellit, res ab aliis utiliter inventas et explicatas, disciplinam sapienter exornatam et fastidiant, et omni qua possunt ope submovere ac labefactare nitantur. Arbitrantur enim gloriam nescio quam se consecuturos apud imperitorum praesertim turbam admiratricem ac laudatricem eorum, qui veterem sapientiam posthabentes, novas quantumvis vehementer inter se repugnantes consecantur sententias.

Vitium hoc, quod jam pridem graecos philosophos vexavit, laudatis disciplinis, supra quam quod cuique credibile est, perniciem atque interitum affert, et ab optimo quolibet christiano philosopho remotissi-

¹ (Lit. Apost. Die 4 Aug. 1880.)

mum esse deberet. "Recentiores graecorum philosophi
 " inquit Clemens Alexandrinus, " inani laudis cupi-
 " ditate commoti refellendo simul et contendendo ad
 " nugas deducuntur inutilis... cum qui veritatis si-
 " mul est amator et discipulus, oportet esse pacificum,
 " et in inquisitionibus per demonstrationem scienti-
 " ficam, et sine nimio amore sui, tantum veritatis
 " amantem accedere ad comprehensivam cognitio-
 " nem." ¹ At non ita visum adversariis et obtre-
 " ctatoribus Summi Aquinatis. In ipsa quippe Pari-
 " siensi Academia in qua tanta ingenii ubertate et
 " eruditionis laude florebat S. Thomas ut merito in
 " principibus haberetur, obtrectandi libido et dissen-
 " tiendi studium nonnullos vehementer incessit, qui
 " suum esse duxerunt vel evertere ac labefactare, vel
 " saltem suis aculeis compungere ac vexare quamplura
 " doctrinae capita, et ipsa philosophandi principia,
 " quae Aquinas ex peripateticis fontibus maxima cum
 " laude et studiosae juventutis utilitate explicabat.

Haec contra Aquinatam apparatus atque instituta
 contentio post ipsius mortem longius latiusque ser-
 pere, ac pererebescere visa est, et pessimos admo-
 dum odere fructus. Nam certandi studium, et con-
 tentionum ardor ab amore veri inveniendi multos ab-
 duxit, et ad desiderium ac pertinaciam vincendi
 impulit homines doctos, et nimio forsitan otio ac in-
 geniis uberrimis affluentes, qui in doctrinas ac sen-
 tentias ceterorum irrumpere ac impetum facere ma-
 lebant, quam animum ad veritatem illustrandam ac

¹ (Strom. Lib. 3, Cap. 1,

roborandam intendere; ideoque ita plerumque ad
 scribendum vel ad disserendum quisque accedebat,
 ut alius alio ferretur, et in disciplina recte instituenda
 nimium mutus, in subvertenda nimium loquax ab aliis
 prolata miscere, mutare, corrigere, eriminari in pri-
 mis affectaret.

9. Hinc cum omnes se peripateticos profiterentur
 ingens factum est animorum sententiarumque dissi-
 idium, et sparsae sunt ac proseminatae quasi familiae
 eruditorum vehementer inter se dissentientes, et mul-
 tum disjunctae ac dispares. Inde etiam illud mirabile
 christianae philosophiae aedificium tanto labore, in-
 dustria ac sapientia fabricatum nutare ac labascere
 gradatim ac paulatim inceptit; dubitandi et de om-
 nibus rebus ambigendi veluti morbus animos habuit,
 nullum veri falsique discernendi ratum ac certum
 iudicium superstes quasi fuit, et tanta dissentientium
 Scriptorum multitudo ac varietas in singulas irrupit
 scientias ut impossibile sit discrepantes eorundem
 enumerare sententias. Hoc luctuosum scientiis, disci-
 plinae juventutis perniciosum, Religioni et ipsi civi-
 tati exitiosum accidit.

Postquam enim inter ipsos christianos Scriptores
 domesticum intestinumque ardere bellum inceptit,
 atque alii alios impugnare et insectari contendebant;
 bonorum imprudentia, et ipsis inscientibus, arma
 fuerunt fabricata ac parata nefaris christianae phi-
 losophiae et religionis nostrae adversariis. Quapro-
 pter homines perdit, odio religionis et ipsius paci-
 ficæ civitatis inflati, non sua virtute ac doctrina
 confisi, sed nostris dissensionibus ac discordiis elati

sustulere animos, et domestica ac civilia arma, quibus boni inter se velut altercantes congregiebantur, ex eorum manibus ereptum ivere, et contra ipsos totquere ac jaculari instituerunt.

Nimirum ipsa adversariorum audacia ac temeritas, quae cuncta, humana aequae ac divina promiscua habet, et veritates naturales simul ac revelatas petit ad necem, nos admonere non desinit tum ad veterem sapientiam esse revertendum, tum vel maxime excellentem certumque ducem nobis esse seligendum, ejus ductu auspicioque omnes ad unum, servatis severe ordinibus, velut agmine facto contra communes hostes in praelium erimus ituri. Hunc sapientissimum ducem, quem hostes Ecclesiae tantopere exhorrent ac verentur, omnes intelligunt Angelicum Doctorem esse debere, quem ipsi adversarii licet inviti ac nolentes admirari coguntur.

10. Immortalia tanti Doctoris volumina sole ipso illustriora ac clariora, tametsi divina quadam luce splendent et omnium oculos suo fulgore perstringunt; tamen ne vestris studiis vestraeque utilitati, egregii juvenes, vel minimum desim, et vobis, quoniam ita percupitis, thesauros unde divinam sapientiam hauriatis, et ipsa itinera melius demonstrem, et ut fieri solet digitum ad fontes intendam; non possum me cohibere quin pulcherrima de S. Thoma transferam verba Cardinalis, Pallavicino viri eruditissimi et omni ingenii ac doctrinae gloria praestantis. Doctissimus namque Ecclesiae Princeps, qui Thomae Aquinati non mediocrem toto aetatis suae tempore operam dederat, in epistola nuncupatoria

quam suo de Sacramento poenitentiae libro praeposuerat haec de Aquinatis sapientia, et de suo erga tantum Magistrum studio conscripsit:

“ Sentio equidem in me tanti Scriptoris (*S. Thomae*)
 “ pretium una cum aetate, sed longe supra aetatis in-
 “ crementa crevisse. Vix crederem nisi expertus ab
 “ aliquibus in theologica luce diu versatis tanti Do-
 “ ctoris magnitudinem sibi inaspectam favori ac famae
 “ quadantenus assignari. Perinde his accidere mihi vi-
 “ detur ac terricolis caelum conspicatis, quibus quanto
 “ sole inferioribus tanto ipse minor apparet. Preclare
 “ mecum egit divina bonitas, quod me vocarit ad
 “ eam religiosam Cohortem, quae jubetur Angelici
 “ Praeceptoris theologiam sequi: eam namque seque-
 “ rer vel injussus: immo vix non sequerer vel prohi-
 “ bitus: certe perinde sequerer Scriptoris auctoritate
 “ nihil illectus, sed ejusnam ea esset ignarus. Nimi-
 “ rum egregia scripta ceu vina, soli quamquam in-
 “ certi sint, cum sapore pretium ferunt. Iam vero
 “ hae postremi hujus anni disputationes, quas e sug-
 “ gestu dictavi, et quarum tibi Summam dico plus
 “ aliquanto quam superiores editae a me tibi Aquina-
 “ tem redolebunt: quo tantopere nunc delector, vix
 “ ut alium e Scholasticis diu teram sine fastidio;
 “ non quod in ceteris multa non inveniam et ignota
 “ mihi, et oppido pulchra: sed alia plura, et longe
 “ pulchriora me inventurum fuisse intelligo, si Divo
 “ Thomae tempus illud impendissem. Quis autem
 “ piscatoris consilium probaret, qui, omissio vivario
 “ certissimam lectissimamque praedam pollicente, in
 “ fluvio potius, quamquam piscoso retia fortunae, com-

“ mitteret? Id ex me saepe audiunt, quicumque me
 “ saepe audiunt: Quamvis tanta sit Divo Thomae et
 “ sectatorum frequentia, et laudatorum approbatio;
 “ utrumque tamen adeo infra merita mihi videri, ut
 “ inde communem humanae perspicientiae tenuita-
 “ tem vel aspernari cogar, vel miserari. „

11. Quibus verbis nihil pulchrius, nihil magnificen-
 tius, nihil ornatius, nihil denique juvenibus qui ad
 severiores disciplinas animum appellunt excogitari
 dicique poterat salutaris. Nimirum, si verbis exem-
 plisque doctissimi Cardinalis scientiarum cultores
 morem gessissent, non vidissemus tot errores, tot com-
 mentitias pugnantisque sententias in singulas irrum-
 pere disciplinas, mentesque innoxiae juventutis inva-
 dere ac corrumpere. Neque aetas nostra conspexisset
 ex cineribus iterum excitata deliramenta jamdudum
 derelicta Leucippi, Democrati et Epicuri, qui omnia in
 natura visibili revocabant ad corpuscula, seu atomos
 diverso motu agitatae, diverso situ diversaque figura
 pollentes. Neque illa incredibilis atque infinita de qua-
 libet re pro lubitu opinandi et decernendi licentia tot
 scriptores uberrimis ingeniis ornatos transversos egis-
 set, qui omnem auctoritatem aspernati humanam rati-
 onem veri rectique unicam normam et supremum ve-
 luti iudicem proclamarunt. Quo dogmate constituto,
 omnia nutant, labant, et tamquam fundamentum in
 aqua habentia mole sua obruuntur.

Equidem humanus intellectus, si superioris regulae
 et auctoritatis justum spernit et detrectat imperium,
 ad nova, incredibilia absurda ducitur, et de omnibus
 facile ambigit; omnia inficiari, quidlibet audere, ad

lubitum transigere, suis limitibus definire gestit. No-
 stris ipsi oculis vidimus a certorum hominum insolentia
 ac temeritate ipsa humanae rationis principia
 deformata ac profligata, et aliud super aliud cumulari
 artium liberalium ac scientiarum funus; ita ut nullus
 etiam turpissimus error, nullum deliramentum memo-
 rari possit, quod apud aetatis nostrae Scriptores mul-
 tiplices non nactum sit adstipulatores et magistros.

12. Sed jam redit animus; nam Supremus Eccle-
 siae catholicae moderator Leo XIII, cui a Christo
 Domino divinitus commissum est munus pascendi gre-
 gem, ab eoque falsas nocentesque doctrinas propul-
 sandi, tantam rerum ac doctrinarum miseratus ruinam
 simul ac gubernacula Ecclesiae regenda suscepit, ad
 omnes sacrorum Antistites epistolam illam “ *Aeterni
 Patris* „ caelestis sapientiae plenam conscripsit, quae
 tot ingruentia mala in aperto poneret, et malis un-
 dique succrescentibus promptiora afferret remedia.

In ea omnes gravissimis verbis cohortatus est
 ut ad medenda tot acerba vulnera sine mora philo-
 sophiam revocare coniterentur ad purissimos et
 illimes Thomae Aquinatis fontes; illudque edixit ac
 diserte significavit in tanti Doctoris sapientia ca-
 pessa oportere ad fontem ipsum potius accedere,
 quam rivulis operam dare, inquiens: “ Providete ut
 sapientia Thomae Aquinatis ex ipsis ejus fontibus
 hauriatur. „ Neque semel aut iterum, sed saepissime,
 tum in privatis colloquiis, tum in publicis conven-
 tibus inculcavit ac monuit, scientiarum et philoso-
 phiae instaurationem esse ad mentem Thomae Aquina-
 tis exigendam ac moliendam.

Quare ne cui integrum fasque esset de ejus consilio, voluntate, atque optatis quidquam dubitare, novissime alloquens coram, et viva voce, universam juventutem, quae Romae in Seminariis in spem Sacerdotii eruditur ac fingitur ad sapientiam, quaeque magna cum frequentia in aedes vaticanas convenerat, haec inter cetera elocutus est: "Majorum rerum scientiam quod spectat utiliter videmus et "convenienter temporibus fecisse, quod ad disciplinam Thomae Aquinatis studia clericorum revocavimus. Et hac de re quod per literas, nec semel, "aperte monuimus, idem hodie viva voce renovamus, "Angelicum Doctorem oportere ducem ac magistrum sequi, in quo vos, delicti filii, quanto plus operae studique collocaveritis, tanto plus ad excellentiam "doctrinae propius accessisse iudicatotote.,"¹

13. Vox atque hortatio Supremi Pastoris per Universam Ecclesiam subito repetita percrebuit, et ab omnibus viris pietate ac scientia probatis animo lubenti ac parato excepta fuit, quippe quae sola tot malis undique succrescentibus, tot cumlatis verae doctrinae ruinis afferre poterat salutarem medicinam, mentesque juvenum ab errorum ingruentium veneno ac contagione incolumes servare.

Verum enim ab omnibus probe intellectum est aurea Thomae Aquinatis scripta esse iterato typis excudenda; ut multiplicatis exemplaribus possent per totum terrarum orbem in vulgus disseminari, et omnibus, qui in egregiam spem Ecclesiae educantur

¹ Alloc. hab. dia 18 Jan. an. 1886.

praesto esse sine gravi dispendio. Quam ad rem viri de scientiarum incrementis et de juventutis disciplina optime meriti typographorum catholicorum studium ac diligentiam excitarunt, nullumque non moverunt lapidem, ut illustriora Doctoris Angelici opera denuo ederentur ac omnibus ea acquirendi facilius pateret via. Quod auspiciato et feliciter factum maxima cum voluptate ac laetitia videmus; nam apud omnes nationes ac populos incredibilis ardor tanti operis perficiendi complures invasit, qui certatim adlaborarunt, ut novae adornarentur editiones, quae sapientiam tanti Magistri ad longinquas et a nobis maxime remotas veherent gentes.

Neque hic merita laude debitisque honoribus privari potest *Consociatio a S. Paulo* nuncupata bonis libris edendis, quae pluries in Gallia utramque Aquinatis Summam theologicam nempe, et philosophicam optimis ac nitidis publicavit typis, et nuperrime ejusdem Doctoris *Quaestiones Disputatas* edidit, adjecto libro *De Ente et Essentia* quem Thomas De Vio Cajetanus nobilissimis commentariis locupletavit. Quae virorum religione, ac pietate praestantium sollertia, Deo bene juvante, ex sententia processit, et mirandum in modum in utilitatem optimarum disciplinarum vertit. Nam optimus quisque qui sapientiae Aquinatis studio tenebatur, et studiosa juvenus, quae ad purissimos Aquinatis fontes haurire scientiam ardebat, in manibus facillime habere potuit pretiosiora S. Doctoris opera, quibus illa aetas mollis, sincera, inanium contentionum minime appetens, ignara atque insolens doli, expers errorum, veritatis unice cupida ad vera-

cem puramque informatur disciplinam, et salubri doctrinae pabulo alitur ac nutritur.

13. Et quoniam inter Aquinatis Opera reperiuntur complura *Opuscula* seu luculentae quaedam lucubrationes, in quibus pulcherrima tum philosophiae tum theologiae capita, quaestionesque gravioris momenti perstringuntur, enodantur, et sub uno veluti conspectu ponuntur, in votis atque optatis maxime erat adolescentium qui in Gregoriana hac nostra Universitate ad severiores disciplinas animum appellunt, et in primis eorum, quos ego in peripatetica Aquinatis philosophia imbucendos, et erudiendos suscepi, ut ceteris Angelici Doctoris editis libris nova adjungeretur editio *Opusculorum*, tum eorum quae ad philosophiam, tum eorum quae ad theologiam spectant ad usum studiosae juventutis accommodata et exacta: quocirca saepissime ac enixe me obtestati sunt, ut pro meo singulari erga Summum Aquinatem amore ac studio ad novam editionem parandam ipse aggrederer. Voluntati, optimoque desiderio meorum discipulorum, quos unice semper dilexi obsequendum duxi, nullamque moram interponendam censui, et omni qua potui ope ac animi ardore huic operi persequendo me totum dedi.

Et initio quidem auctor suasorque fui, ut sumptibus ac typis egregii viri Scipionis Lapi, quem honoris laudisque gratia hic nomino, apud Tifernum Tiberinum editio prodiret; et, eo libenter annuente, operi fidenter manus admovi. Ut autem commodo ac utilitati juventutis studiosae melius, aptiusque prospicerem, ita singula *Opuscula* exegi ac disposui,

ut eorum ordo ordini congrueret ac responderet quores ac quaestiones in scholis explicantur. Laudatis *Opusculis* *Quaestiones Quodlibetales* adjungendas volui, ne juvenes carerent hoc alio Aquinatis opere, in quo saepe quaestiones nobilissimae acute et copiose evolvuntur. Demum, si quando per alias, quibus distineor, occupationes, licuit, quasdam quaestiones, scholia, adnotationes adjeci, quae doctrinam tanti Magistri vel juvenibus ostenderent, vel ab aculeis ac oppugnatione adversariorum vindicarent, nullamque diligentiam praetermisi, ut volumina a me recognita sine mendis, quoad fieri potuit, publicam viderent lucem.

14. Sed jam studio dicendi elatus longior fui ac mihi initio proposueram; quocirca tempus est, egregii adolescentes, et discipuli animo meo carissimi, ut ad vos mea revertatur oratio. Spem ac omne consilium meum in hac adornanda *Opusculorum* S. Thomae editione vobis significavi ac patefecerim. Nihil aliud mihi reliquum est, nisi ut vos etiam atque etiam obtester ut hoc meo certe non levi labore pro vobis libenter suscepto in profectum et incrementa studiorum vestrorum animo volenti ac parato utamini; magni quippe interest ad decus et laudem religionis et Ecclesiae, quam vos tueri ac defendere debetis, sapientiam omnesque laudatas disciplinas combibere ex purissimis Aquinatis fontibus, ex quibus tot praestantes ingenio viri, et de christiana religione egregie meriti tantam scientiarum copiam et abundantiam expresserunt. Neque me instituti mei, et diurni laboris poenitebit, si, quod in votis semper fuit meis, hac

Opusculorum editione quam vobis nuncupandam, dicendamque statui vestrum amorem, et studia vestra erga Summum Aquinatem commoverim atque incitaverim. Equidem, adolescentes, in tanta errorum multitudine ac varietate, in tanta opinionum sententiarumque de maximis quaestionibus discordia, in tanta denique rerum obscuritate nulla cognoscendae percipiendaeque veritatis securior vobis superest via, quam immortalia Aquinatis volumina diu noctuque perlegere ac meditari. Illud sane in animis vestris fixum ratumque sit, nihil magis hostes Ecclesiae et osores veritatis formidare ac metuere, quam homines sapientia Angelici Doctoris imbutos, instructos, armatos. Valete.

Romas, Kalendis Januarii anni MDCCCLXXXVI.

Michaël De Maria S. I.

OPUSCULUM I.

SUMMA TOTIUS LOGICAE ARISTOTELIS

seu de praedicabilibus, de praedicamentis, de enuntiatione, de syllogismis et de demonstratione.

(Edit. Rom. XLVIII.)

PROEMIUM.

Omnes homines natura scire desiderant. Scire autem est effectus demonstrationis; est enim demonstratio syllogismus apodicon, id est faciens scire. Ad hoc autem quod tale desiderium naturale compleatur in homine, necessaria est demonstratio: non enim potest esse effectus, in quantum hujusmodi¹, sine causa. Et quia, ut dictum est, demonstratio est syllogismus; ad cognoscendum eam, necesse est praecognoscere syllogismum. Syllogismus autem cum sit quoddam totum aggregatum ex partibus, cognosci non poterit partibus ignoratis. Ad cognoscendum ergo syllogismum oportet primo cognoscere partes ejus. Partium autem syllogismi quaedam sunt propinquae, ut propositiones et conclusio, quae omnes enuntiationes dicuntur: quaedam vero sunt remotae, ut termini, qui sunt partes enuntiationis; ideo ista oportet tractare, scilicet de enuntiatione et de terminis, antequam de syllogismo tractetur. Quilibet autem terminus, qui sine complexione dicitur, significat substantiam, aut quantitatem, aut aliquid aliorum praedicamentorum; et ideo antequam de enuntiatione tractetur, oportet determinare de praedicamentis. Et quia praedicamentum, ut hic sumitur, nihil aliud est quam ordinatio praedicabilium in ordine praedicamentali; ideo ad cognoscendum praedicamenta, oportet praecognoscere praedicabilia. Ad hoc ergo ut perveniamus ad ipsum scire ab omnibus naturaliter desideratum, iste debet esse ordo quem cum auxilio Dei tenebimus: ut primo tractetur de quinque praedicabilibus: secundo, de decem praedicamentis: tertio, de enuntiatione: quarto, de syllogismo simpliciter: quinto, de syllogismo applicato ad materiam demonstrativam, seu de demonstratione. De syllogismo vero applicato ad materiam probabilem, qui pertinet ad partem logicae, quae dialectica dicitur, de quo tractatur in libro

¹ *Al.* in quantum hujus.